

sententiã lapsi dixerunt, omnia fieri fortuito. Nos autem Dei verbo edocti dicimus docemúsque omnia Dei liberrima, non autem coacta aut constri-
cta voluntate fieri, per quam agit, operatur & im-
plet omnia in omnibus, vt ait Paulus Ephes. 1. vers.
23. & 3. vers. 20. 3 Carnis resurrectionem nega-
runt, quod illis fuit cum superioribus hæreticis
commune. Sic Epiphanius. Sequuntur aliæ hæ-
reses.

CAPVT XXXVI.

Noetiani vnde dicti. Erroris autem eorum caput
vnum descriptum.

Noetiani ¹ à quodã Noeto, qui dicebat Chri-
stum eundem ² ipsum esse Patrem, & Spiri-
tum sanctum.

¹ Noetiani à quodam.) Neque hæc hæresis
suo loco videtur recenseri. Nam cum Bardesani-
starum errore nihil habet commune, nisi quòd est
hæresis & auersio à vera fide. Potius ad Simonia-
nos pertinet, ex quorum fæce & cœno sua venena
sumpserunt Noetiani, qui in capite de personis di-
uinis eadem cum illis senserunt, longo tamen post-
ea tempore post Simonianorum nomen extinctum,
atque ex Ecclesia Dei explosum, extiterunt, nec se
Simonianos dici voluerunt. Sed non est spectan-
dum, quo nomine, sed quo dogmate & errore graf-
fati sint & veritatem oppugnarint, vt ad suum fon-
tem & originem reuocari quæuis hæreticorum se-
cta possit. Ergo ad Simonianos hos refero, quem-
admodum & omnes alios qui idem cum illis de